



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quomodo seruetur puritas cordis. Can. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Quomodo seruetur puritas cordis.

CANON XVII.

Pro seruanda itaq; puritate cordis filia, non hoc solū est necessarium, vt (quod audisti) ab occupationibus, cogitationibus, curis, sollicitudinibus, affectionibus, tum inordinatis, tum inutilibus exuta sis, sed vt exercitium habeas quo erga me sanctē occuperis: & quicquid cor tuum intrare aut possidere molitur, excludas. Habeas igitur meditationes, aspirationes, orationes sanctas, quibus post lectionem cor tuum mihi custodias, quibus seruentur & sæpius illud mihi coniungas. Placet mihi super omnia passionis meæ meditatio: in vulnera mea deuotio, & matris meæ veneratio. Ibi meditare quoque quid tibi desit, ora longanimitē vt tibi detur, expecta confidenter donec recipias. Quapropter exercitium hoc quod in vulnera mea offeras, quo pro peccatis tuis & omnibus supplices, virtutes petas, mihi gratias agendo atque amando inhæreas, assume. Gratia mea & pax tecum. Amen.

D. IOAN. IVSTI LANSBERGII,
Carthusiani, ad Venerabilem in Christo

matrem ac Dominam: cunctasque virgines ordinis Præmonstratensis in Hinsperga Deo dicatas, in primj libri tertiam partem Alloquiorum Christi Iesu ad quamuis fidelem animam,

P R A E F A T I O.



Neminem adeo desipere existimo virgines Deo deuote, vt Alloquium hoc p̄ssimi Iesu nomine inscriptum, ore Iesu, vel dum mortalem hic in terris nobiscum agebat vitam, habitum putet: sed tam glorioso propterea titulo insignitum libellum, quod eruditionem eam qua re vera sit Iesu (vt inspiratio eius diuina nobis quotidie testatur) contineat: qua non modo cordibus insinecta sentitur, verum etiam literis hic scripta legitur, quasi ore aut per epistolam nobis loqui Deus videtur. Excitatur autem ad auscultandū obtemperandumq; mens humana eo vehementius, quo tam non quasi ab homine, sed à Deo (cuius est) hanc recipit sentitq; eruditionem. Quis enim dubitet eruditionem vel quamlibet tanto plus conferre lectori, tantoq; suadere efficacius, quanto maiori in praeio habetur is qui docet. Cum igitur optatissimum nobis sit Christi spiritus singularum quibus lecturae sunt corda illustrari, suademus omnibus (quo se spiritu hoc dignum quisq; efficiat) hac non nostro, sed Christi nomine legi. Habet enim spiritus nostri tarditas quamdiu facta hoc corpore eo circumdamur, vt per sensibilia & affectus humano magis familiaria suadeatur, excitetur, promoueatq; in Deum. Eam ob rem puto quod varias in diuino cultu caeremonias, organa, ministeria, ornatumq; in templis multiplicem, Ecclesia receperit: cui praeterea non desunt imagines eadem ratione, Christi & sanctorum, coram quibus suam in Deum plebs deuota exerceat pietatem: quas transiens dum aliud cogitat, adnoneatur aut beneficia Christi accepta recollere, aut qua intuetur sanctitatis exemplaria imitari, aut certe

Caeremoniaz, ornamenta, ministeriaque in Ecclesiis quo spectant.

Nun 3

ad Deum